



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Valentini Mangioni Per Vsini E Societate Iesv, In  
Signatura Sacra Pœnitentiariæ S.D.N. Papæ Consultoris  
Theologi De Religiosa Pavpertime non excludente rerum  
Dominium nec Ius testandi Opvscvlvm ...**

**Mangionius, Valentinus**

**Coloniæ, 1639**

Sectio Secvnda. Textibus Constitutionum Societatis & Pontificum nulla idonea solutio hactenus allata fuit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63077](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63077)

tius prodita & nullius prorsus Doctoris auctoritate fulcitur. Vtique adeò verum est, quod extremâ hac Apologiâ dicebam, Caium in illâ hereditatis controuersâ non fouere bonum ius, nec sequi opinionem probabilem, errore vnus tantû hominis miserabiliter inductum; dignum tamen venia, quod in talem Duce[m] incidit.

SECTIO SECVNDA.

*Textibus Constitutionum Societatis & Pontificum nulla idonea solutio allata est.*

22 **R** Estat iam alterum, quod in hac Appendice me facturum esse promisi, vt demonstrarem, manifestissimis Constitutionum Societatis, & Pontificum textibus, (in quibus cõceditur Scholaribus post vota simplicia retentio Domini) nullam hactenus congruentem, vel probabilem responsionem afferri potuisse. Inficiatur quidem Auctor *Eppseos*, textus à nobis propositos, & explicatos in Consultatione esse manifestos. imò vocat *obscuros, & ambiguos*, idque auctoritate *Mandofij tract. cit. Glossa xi. num. 24.* quod ibi, vt supra vidimus, dicat *non satis tutum sibi videri iuxta Constitutiones affirmare, Scholares non retinere Dominium in particulari*, quod tamen non affirmat *Mandofius*, qui solum dubitat ibi, an sit tutum dicere Scholares Societatis retinere Dominium in communi. imò in secunda responsione illi magis probata negat. Sed hoc nihil est ad rem. Nam *Mandofius*, eo loco, vt supra probaui, agit de Dominio bonorum Collegij, in quo Scholares existunt: non autem de Dominio bonorum proprio.

priorum, & paternorum, & de hoc Dominio particulari loquuntur textus Constitutionum, non de illo, de quo *Mandofius*, hoc est, de dominio bonorum Collegij. Itaque Auctor *Epop seos* solus est, qui in iisdem textibus ambages fingat.

Sed videamus quid haecenus ad praedictos <sup>13</sup> textus Constitutionum Societatis & GREGORII XIII. responsum sit. In Actis publicis coram huius causae, inter Titium & Caium, Iudicibus, Caij Procurator respondebat (vt quidam non temerè suspicatur) edoctus ab illis duobus Theologis, nomen *Dominij* quod Constitutiones, & Pontificiae Bullae Scholaribus etiam post vota concedunt, intelligi debere de *Dominio passivo*: hoc est, de capacitate recuperandi bona propria in casu dimissionis à Societate.

Hæc expositio fuit ab ipsis Iudicibus explosa: <sup>14</sup> tum quòd esset interpretatio contra vim, & proprietatem vocis *Dominij*: tum quia nullo modo quadraret illis textibus, vt ego etiam postea a fuse in mea Consultatione demonstraui à *num. 10. vsque ad 26.* & reuera Auctor illius Scripti, quod eadem Consultatio confutat, non est ausus adhibere ampliùs eiusmodi expositionem.

Secunda ergò responsio in Actis à Causidico, <sup>15</sup> & in illo Scripto inculcata erat hæc: vt textus omnes, in quibus sermo est de *Dominij* retentione, intelligendi essent de *Dominio in communi*, quod scilicet Scholares retinent respectu bonorum Collegij, cuius membra sunt: & in hac responsione valdè sibi placebat Scripti Auctor, eaque

confirmabat auctoritate *Mandosij*, qui, ut supra vidimus, in sua prima responsione dubitat, an iuxta Constitutiones, & Pontificias declarationes dici possint Scholares habere Dominium in communi; in secunda verò expressè negat.

16 Hanc responsionem non adducit Auctor in *Eposi*: imò reijcit expressè *num. 17. & 38. & alibi*: & quòd mirum est, fretus auctoritate eiusdem *Mandosij*, & præterea *Gabrielij*, *Rodriquez* & *Romani Hay*, qui, ut supra vidimus, apertè sentiunt, Scholares Societatis nullum habere Dominium bonorum Collegij, nec in particulari, nec in còmmuni, ut vel hinc suo Aduersarius exemplo sanciat, mendacem memorem esse oportere. Sed quidquid sit de hoc; responsionem illam de *Dominio in communi* sustineri non posse, hoc meridiè clarius demonstratum est à me in expositione illorum textuum à numero 10. vsque ad 26. in Còsultatione. Quam expositionem nec Aduersarius reiecit, nec quivis alius poterit vnquam refutare. imò illius, *Eposi* ne meminit quidem.

17 Affertur ergò in *Eposi* à *num. 30.* nova responsio, damnatis illis duabus: ut spes sit ab eodem Auctore breui damnandam esse etiam hanc tertiam, quæ ab illo ( ut solet omnia) satis confusè, & obscurè proponitur.

18 Ego breuiter sic explico. Primò, Constitutiones iubent Candidatis Societatis *antequam sub obedientia viuere incipiant, abijcere*, & in alios transferre Dominium, quod in sæculo habebant. Secundò

eundò, hæc lex strictissimè obligat, nec licet aliter facere, quàm per dispensationem, Tertio hæc dispensatio postulat *iustas, iustissimas, magnas, maximas, Deo placentes, & necessarias causas*, imò aliquam *urgentissimam necessitatem*: quæ causæ, & necessitas, cum vix vnquam locum habere possint; concludit Auctor, in rarissimo casu posse Scholares post vota retinere dominium bonorum suorum. Quarto si abdicatio dominij non fiat ante ingressum, vel ante vota, debere fieri statim, *quantocytus intra vnum diem*. Quintò addit, in hoc solùm sensu esse accipiendas Pontificias Constitutionū Societatis confirmationes: & consequenter Titium non retinuisse Dominium bonorum suorū post vota. quippe cum in eo nullæ eiusmodi causæ vel necessitas fuerit, aut fuisse probari possit.

Conatur Aduersarius singula probare. & primum quidem teneri Scholares abdicare se Dominio, antequam recipiantur in Societate, *exam. c. 4. §. 1. & apud ipsum num. 30.*

Secundum, ex eodem loco Exam. vbi habetur verbum *Debent*, quod importat necessitatem. ergò differri non potest sine dispensatione.

Tertium, requiri *iustas, iustissimas, &c. causas*, & necessitatem ad dispensandum, vt abdicatio Dominij diutius differatur, probat *num. 32. & 33.* multorum testimonio.

Quartum, hoc debere fieri *statim, quantocytus &c.* ex Ordinatione Præpos. Gen. *aureis*, inquit, *scribenda literis.*

Quintum, sic esse intelligendas Constitutiones,

nes, & Bullas Pontificias conatur ostendere, vel potius supponit à num. 35. vsque ad 50. respondens inductioni textuum à me factæ in Consultatione.

30 Ad primum dico, falsum esse, Constitutiones iubere Candidatos Societatis ante receptionem in aliqua domo, abijcere dominium, quod in sæculo habebant. licet enim illo capite 4. §. 1. dicant, eos debere omnia bona temporalia, quæ habuerint, distribuere, antequam in domo aliqua, vel Collegio vivere sub obedientia incipiant; At §. 2. subiungunt, Scholares promittere debere, si statim bona propter aliquas honestas causas non relinquunt, se promptè relicturos omnia post vnam ab ingressu absolutum annum, quando-cunque per Superiorem iniunctum fuerit, & in fine §. 3. hæc habent. interrogetur itaque ( Candidatus Societatis) num placeat ei statim, sicuti dictum est, bona sua distribuere, vel certè num paratus sit ad huiusmodi distributionem, quando-cunque exacto primo anno per Superiorem ei fuerit iniunctum. Quid hic obsecro, sonat præceptum tam rigorosum, statim, in contingenti, quantocyus, intra vnum diem, vt Aduersarius contendit, distribuendi sua bona? Nonne Sanctus Fundator contentus est illa promptitudine, & præparatione ad huiusmodi distributionem faciendam, quando Superiori videbitur. Et sanè cum in alijs Religionibus non sit obligatio, abdicandi se dominio bonorum suorum initio Probationis: sed debeat præcedere aliquot Mesium experimentum; non erat ratio vlla, quæ in Societate vrgeret ad statim res temporales renunci-

nunci-

nunciandas. Imò, quia multò serius in Societate emittitur Professio, & diutius durant Probationes; Instituti ratio postulabat, vt tardior etiam esset Dominij abdicatio.

Ad secundum Respondeo, ad retentionem <sup>21</sup> Dominij post vota, nullâ opus esse dispensatione. Patet primò, quia vt in Consultatione probaui, non est de iure diuino, nec naturali, vt vouēs Paupertatem Religiosam, destituatur Dominio. Secundò non est opus dispensatione in iure cõmuni Religiosorum Ordinum: quia Societas, quoad Paupertatem Scholarium, non regulatur iure communi, sed suis Statutis, vt supra dixi, per Sedem Apostolicam confirmatis. Tertio non est opus dispensatione in iure Societatis. quia Scholares differendo etiam post vota per duos, & plures annos ad arbitrium Superiorum, obediunt legibus ipsius Societatis, nec vulnerant ipsas leges. Quartò (dato & non concesso) esse opus aliquâ dispensatione, & à Superioribus sine iustâ causa aliquando differri abdicacionem Dominij faciendam à Scholaribus multo tempore post vota; ex quo textu probat Aduersarius, non retineri nihilominus Dominium, & eo ipso, quod vota emissa sint, deperdi? nemo est, qui nesciat multa fieri contra legum præscriptum, quæ tamen facta tenent, inueniat mihi, si potest, Aduersarius in toto Societatis iure vel vnam voculam, quâ significetur, si absque iustâ causa abdicatio Dominij differatur, vi votorum eo ipso amitti. Ideò frustra laborat in perpendenda vi vo-

cis debent, etenim etiam suus ille *Bartolus*, aduersus quem *ſe* viro durum putat, num. 69. *Epopſeos*, cum cōmuni Iuriſconſultorum ſententiâ, aſſerit, verbum debet non importare ſemper neceſſitatem, ſed aliquando ſolam decentiam, nempe quando, ſi importaret neceſſitatem, reſultaret prauus intellectus & correctio Iuris alicuius. quod ſanè in noſtro caſu contingeret. nam in Scholarium electione poſitum eſt, ſua bona diſtribuere vel antequam incipiant viuere ſub obedientiâ in aliquâ dome Societatis, vel poſt primum annum probationis, quando- cunque per Superiorem iniunctum fuerit. vt omittam alios textus, in quibus permittitur retentio Domini poſt vota, quamdiu ſuperiori videatur, qui omnes textus corrigerentur, ſi vox, *Debent*, importaret neceſſitatem.

22 Ad tertium Reſpondeo primò, iuxta Conſtitutiones nullas requiri cauſas, ob quas Candidati Societatis differre poſſint bonorum ſuorum diſtributionem, patet ex dictis: quia interrogantur, an placeat eis ſtatim bona ſua diſtribuere, vel quando Superiori videbitur exacto primo anno probationis, ergò illorum eſt optio, an velint ſtatim Dominio ſe abdicare, an differre. & in *Ordin. Prapof. Gener.* vt mox videbimus, conceduntur quatuor anni ab ingreſſu, & duo ab emiſſione votorum nulla præſcriptâ cauſa, & qui interrogatur, an ſic ei placeat, nulla cauſa opus habet.

Reſpondeo ſecundò, tantum abeſſe, vt requirantur vrgentiſſimæ, & neceſſariæ cauſæ ad differtendam Dominij abdicatiōem, vt potiùs multe  
condi-

Conditiones postulentur ad non differendam, vt  
mox apparebit. Nam si Candidatus ad annum vi-  
gesimum non peruenerit: vel Patria leges maiorem eta-  
tem requirant, vel in vocatione firmus, & stabilis non iu-  
dicetur; non debet bonorum distributio, vt ordinatio  
habet paulò post referenda, illi iniungi.

Respondeo tertio, testimonia Nauarri, & alio-  
rum referri extra rem. illi enim vel volunt requiri  
causas vrgentissimas ad dispensandum in reten-  
tione Dominij post votum Paupertatis solemne,  
vt patet legenti, & non cæcutienti: Scholarium  
autem Societatis vota sunt simplicia: vel, si lo-  
quantur etiam de votis simplicibus, loquuntur  
de illis votis, in quibus debet dispensari. Hæc au-  
tem nostra vota, vt supra ostendi, non sunt talia,  
vt in ijs dispensari debeat ad effectum retinendi  
Dominium actiuum particulare, quod ex inten-  
tione vouentium & Ecclesiæ acceptantis non ex-  
cluditur statim. & in hoc puncto Constitutiones  
Societatis sunt ab Apostolica Sede approbatæ.

Ad quartum respondebit ipsemet Præpositus 23  
Generalis Claudius Aquaviua, cuius Ordina-  
tionem Aduersarius mutilatam, vt solet, refert, sic  
ille pag. 29. Quod verò ad tempus attinet, quo bonorum  
distributio à Nostris sit faciendâ, re diligenter cum Pa-  
tribus Assistentibus discussâ, hoc in Domino statuendum  
existimauimus; vt scilicet, postquam quis in Societate  
quatuor integros annos vixit, dummodo ad annum vige-  
simum peruenerit, vbi ea ætate per patrias leges id facere  
licet; (alioqui expectetur, donec ad legitimam ætatem  
perueniat) si in vocatione firmus, & stabilis iudicetur, de

Rebus suis omninò disponat. Licet enim nostra Constitutiones ad aliquod tempus, Nostros rerum suarum Dominium iustas ob causas retinere permittant; non tamen propterea permittendum est, ut idè Nostri honorum suorum Dominium per multos annos retineant; cum, & ipsarum Constitutionum menti magis congruum sit, & omnimoda Paupertatis perfectioni magis conueniat, ut Nostri à temporalium rerum Dominio, & cogitatione ( nisi iusta dilationis causa intercedant ) quantocytus expediamur. Quid ad hæc mi Epoptæ An non, ò Iuris mystagoge, inciuiliter pronunciaſti totâ lege non perspecta? An speraſti, te posse nobis illudere hac legum detractione? Sed profectò nimis austerus es. *Adm. Rem. Pater Aquariua* concessit Candidatis Societatis, ut differre possent bonorum suorum distributionem ad annum vsque ætatis vigesimum, & vniuersè ad quadriennium post ingressum: Tu ad vnicum tantum diem. mitius agas, obsecro te, nolinos in tantas angustias conijcere.

24 Ad quintum respondeo, Constitutiones esse intelligendas in sensu iam explicato, nam loquitur de retentione Dominij post vota etiam ad aliquot annos pro arbitrio Superiorum, & semper sunt legitimæ causæ, ut paulò post ostendetur, cur retineatur; hoc est libertas Societatis in dimittendis, quos iudicat ineptos, & minor offensio dimittendorum. nec est opus in hoc aliqua Dispensatione in Statutis. quæ clarè concedunt etiam postvota Dominij retentionem.

25 His ergò reiectis, mea ratio hæc est primò, Candidatos Societatis nullâ lege obligari ad abdicand-

dicandum Dominium, antequam viuere incipiant sub obedientia Societatis: Neque *statim*, aut *quantocyus* in sensu *Epops eos* post vota: Nec ad diutius differendam hanc abdicationem requiri *iustissimas causas*. Neque quando hæc dilatio fit, dispensari in aliqua lege, sed legem seruari, quæ omnia paulò antè probata sunt.

Secundò dico, causas differendi abdicationē<sup>26</sup> Domini post vota aliquot annis, non esse varias seu diuersas, pro diuersitate personarum, quæ vota emiserunt: sed esse vniuersales, & communes omnibus, & singulis vouentibus vota simplicia post Nouitiatum in Societate. Atque hæc sunt duæ determinatæ in Constitutionibus, & approbatæ à GREGORIO XIII. in *sepè allatis Bullis*. Prima est. *Vt maiorem Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, dimittendi*. Altera, *vt ipsi cum minori offensione dimittantur*, quæ offensio maior vitatur, si ius habeant in suis bonis. Causæ verò particulares solum attenduntur in iniungendâ Scholaribus seriùs, vel citiùs Domini abdicatione, vt liquet ex *Ordinatione Bæpos. General. supra relatâ*: Et ferè sunt, ætas scholaris, Patriæ leges, Firmitas, & Cōstantia in vocatione &c.

Tertiò dico, Societatis Institutum in hac parte<sup>27</sup> esse valdè conforme rationi, & Iuri communi Religiosorum Ordinum, ex quo Iure habemus, nullum Religionis Candidatum teneri ante ingressum Religionis spoliare se Dominio bonorū suorum. Secundò, Neminem durantibus decem mensibus probationis validè posse disponere ir-

reuoca?

reuocabiliter de rebus suis *ex Conc. Trident. de Regul. sess. 25. cap. 15.* Tertiò, durante nouitiatu non vacare beneficia Nouitij, neque pensiones, vt bene deducit *Sacra Rota Romana ex cap. beneficium. de Regul. in 6. in Decis. adiunctâ. vers. pratereâ in vtraque. & vers. licet ille.* his ergò Iuribus se conformans Societas, statuit Primò, vt in eam ingressurus, ante ingressum possit, si velit, non tamen teneatur omnia sua bona irreuocabiliter distribuere, vt supra vidimus. Secundò, Etsi velit nouitium esse promptum, & promittere Dominij abdicationem; huius tamen promissionis executionem non exigat, nisi exacto primo probationis anno. Tertiò, retinuit eadem Societas sibi libertatem differendi ad aliquot annos præceptum de abdicatione Dominij faciendâ à Scholaribus: quia probatio in hac Religione non durat solùm tempore nouitiatus, sed vsque ad emissionem Professionis, vel vota publica Coadiutorum formatorum, quo toto tempore non sunt Scholares in statu omninò immutabili ex parte Religionis, sed suaduntaxat. His ergò stantibus valdè prudenter *S. Fundator* sanxit, & *Apostolica Sedes* approbavit; vt Scholares Societatis post vota, & traditionem sui factam Religioni, non amitterent Dominium, quia illorum probatio non finitur per vnum, aut alterum annum: sed durat per plures, ob causas in Constitutionibus expressas, vsque ad emissionem Professionis, vel vota publica Coadiutorum formatorum. & ob hanc rationem acutè dixit *Sacra Rota Romana in Decisione citata*, licet textus in

*cap. beneficium, paulò ante allatus decernat, non vacare beneficium Nouitij, qui nondum emisit Professionē; rectè tamen adaptari Scholaribus Societatis post emissa vota. Quia, inquit, ratio, ob quam BONIFACIUS VIII in illo canone voluit, non vacare beneficium Nouitij, est, quia ille potest ad seculum redire, quæ ratio æquè militat in eo, qui emisit dicta tria vota simplicia. atque ita idem Ius debet procedere; Ratio enim dicitur communis lex ad omnes casus. idè non est curandum de casuum diuersitate, vbi adest eadem ratio. quia tunc non dicitur fieri extensio, sed comprehensio.*

Neque obijciat hîc mihi Aduersarius, vt facit **2. num. 47.** si hæc ratio valeat, necesse esse, vt quo vsque in gradu Scholasticorum Candidati Societatis existunt, Dominium bonorum temporalium nunquam abijciant (quod tamen est contra ordinationes & Decreta ipsius Religionis, addo ego, & praxin) Respondeo enim, id non sequi. Societati, vt iniungat Scholaribus, etiam ante Professionem, & vota publica Coadiutorum, abdicationem Dominiij, satis est Moralis quædã certitudo, Scholares, esse firmos, & constantes in suâ vocatione, & abstractos à rebus secularibus, & seriò incumbere in studium acquirendæ perfectionis. his enim experimentis capris, prudenter vel iubet, vel cõcedit fieri bonorum temporalium renunciationem ad maius ipsorum renunciantium meritum, & maiorem cum reliquo Societatis corpore conformitatem. Et licet aliquando contingat quempiã esse dimittendum; quia tamen rari sunt huiusmodi casus; nõ fuit illorũ habenda ratio.

Sed

- 29 Sed finio, Ostendi hactenus, primò Cautum nullum habere pro sua opinione Auctorem. Secundò, nonam expositionem ab Aduersario ingeniosè magis, quàm solidè excogitamam, textibus à me allatis in Consultatione nullo modo congruere. Quæ duo promiseram initio me facturum esse.
- 30 Hinc sequitur primò, liberū esse me onere expendendi sigillatim respōsiones Aduersarij allatas à n. 35. vique ad 50. ad illos textus, & demonstrādi nō esse firmas. innitūtur enim Præsuppositis ab Aduersario factis: quòd Candidati Societatis iubeantur abijcere dominium *ante ingressum* in Societatem, vel *statim* post emissionem votorū simplicium, hoc est, vt ipse ait interpretans vocem *quantocyus, intra vnum diem antequam ad extraneos diuertantur actus*: & quòd si hoc non fiat statim, *debeat interuenire dispensatio*, quæ nequit concedi, *nisi ob vrgentissimas causas & necessitates*: Quæ omnia falsissima esse docui.
- 31 Secundo infertur, falsò item semper assumi ab Aduersario; Titium confirmasse testamentū in sæculo conditum per vota, & sui traditionem Religioni factam: nam nec vota, nec traditio habent hoc ex natura sua, vel Iure diuino, vt ipse quoque concedit numero 74. Sed *solum Iure civili canonizato*, quo in hac parte Societas nostra non regitur, sed suis Statutis particularibus.
- 32 Tertiò infertur, Summos Pontifices confirmasse Constitutiones Societatis in sensu à nobis explicato, & non præsupposito, quòd ad differē-

dam Dominij abdicacionem, *opus s̄ dispensatione,*  
 & *urgentissimā necessitate.* Si quidem ostensum est,  
 in illa dilatione Constitutiones potius seruari: at-  
 que in ea semper interuenire causas sufficientissi-  
 mas, & vniuersales, & indefectibiles, vt sic dicam,  
 quæ sunt *libertas Societatis in dimittendo ineptos, & mi-  
 nor offensio demittendorum.* quæ duæ causæ præter cæ-  
 teras, (quas hic recensere non attinet) approbatæ  
 sunt à GREGORIO XIII. in sæpè citatis Constitutioni-  
 bus, præsertim *ascendente Domino.*

Ultimò infertur magno sanè ausu dictum fuisse  
 ab Aduersario *num. 51. & seq.* Obseruantiam ferè <sup>33</sup>  
 centenariam, & vsum inconcussum, quo semper,  
 & vbiq; terrarum receptum fuit, vt Scholares  
 post vota Dominium ad aliquot annos retine-  
 rent: aut præsupponere iustissimas illas causas  
 ab Aduersario requisitas intercessisse, aut, si non  
 intercesserunt, esse abusum nihili faciendum, imò  
 cassandum. Nam, vt probatum est & aduertit etiã  
 SACRA ROTA in illa *Decisione vers. ultimo pro hac*  
*parte,* talis obseruantia, & vsus non solum non repu-  
 gnat *Constitutionibus Apostolicis;* verumetiam illis est  
*maximè conformis.*

Ex quibus omnibus postremò concludo, Titium  
 quoque post vota honorum suorum Dominium retinuisse: <sup>34</sup>  
 iterumque potuisse disponere de Superiorum licentiã, sicut  
 etiam omnes Religiosi Professi, non obstante vo-  
 to solemnî, de licentiã Papæ testari possunt, licet  
 per votum obedientiæ propriæ voluntati renun-  
 ciauerint. *S. Tho. 2. 2. q. 185. a. 8. ad 3. Nau. com. 2. de*  
*Reg. n. 58. Alij multi apud Barbos. de Iur. vniuers. Eccles.*  
*lib. 1. c. 42. n. 213.* Huius

35 Huius argumēti, quod leuiter solūm insinuatū in mea Consultatione, vim Aduersarius, (vt est in suscepto semel errore obfirmatus,) penetrare vel non potuit, vel nō voluit, quo factū est, vt magnā partē Quæstionis quartæ explicatæ in illo suo Scripto recoxerit, & rursus nobis in hac iam nō *Epopse*, sed *Paropside* nullo sale conditā, sed tenui tantūm acetō perfusam apposuerit. non mentior. conferatur illa Quæstio à *vers. Postremo restat.* vsque ad finē, cum *Argumento* 1x. *Epopseos*, exposito num. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & præsertim quæ num. 28. habet de *Commendatarijs* Ordinum militarium in Hispaniā & Lusitaniā. cum *vers. Tertium denique.* & comperietur, quā in illum tranuersum agat repugnandi studium. Sic enim agit, quasi ego hoc argumento desumpto ex *Commendatarijs*, vsus fuerim: cum in mea tamen Consultatione nullus apex & nullum (vt ipse loquitur) *verbum* reperiat, nulla tippula.

36 Quid ergō opponitur ad illius vim Argumenti infringendam ab Aduersario? Religiosos, & maximē Societatis, qui exactissimam profitentur Obedientiam, & propriæ voluntatis resignationē, non habere, *nec velle, nec nolle:* & in omnibus dependere à Superiorum arbitrio: ac proinde, si quid faciunt, non facere ex sua voluntate, sed ex illius, quem *vice Dei supra suum caput posuere, cuius se subiecere Imperio* atque adeò non liberè, sed coactè: ac licet Religiosi dependenter à voluntate Superioris facere possint dispositiones in pios vsus; id tamen arguere solum Dominium in communi, *nec propterea nisi frigidissimè argumentari eum, qui hinc pro-*

bat.

hæc, condi posse etiam testamentum, quod est actus pendens à voluntate vnius, nec potest ab alieno arbitrio pendere: *l. illa institutio. ff. de hered. instit.* neque ab hoc Iure esse excipiendos Scholares Societatis: cum etiam ipsi sint verè ac propriè Religiosi. quam multa quam paucis!

Respondeo primo, Religiosi etiam Professi, 37 de licentia, & consensu Papæ testari possunt, non obstante, quod non habeant *nec velle, nec nolle*, & renunciauerint propriæ voluntati, & testentur ex voluntate illius, quem *vice Dei posuerunt super caput suum* (nisi inficeris Papam esse Religiosorum supremum caput ac Superiorem) à quò non propterea cogi dicuntur, nec, quod agunt, coactè facere. Si ergò hæc omnia non impediunt, quò minus Professi testari possint; cur impediunt Societatis Scholares? & ipsis solùm concedetur posse alias dispositiones facere, non testamentum?

Secundò Respondeo, Scholares Societatis potiore iure testari posse quàm Professos, qui solùm sunt capaces administrationis; & quòd ijdem Scholares faciant id de Superiorum licentia, non arguere solum Dominium in communi, quia ipsi retinent Dominium particulare bonorum suorum, & non solùm in communi respectu bonorū Religionis, vt Professi, & quominus de illis tanquam Domini disponere possint, impediuntur solùm voto, ex vi cuius nullam dispositionem facere possunt, saltem licitè, sine Superiorum consensu; hoc autem habito, possunt de suis bonis disponere, sicut quicumque alius secularis de suis.

K

Resp.

39 Resp. tertio, errandi, vel fallendi nos occasio-  
nem sumplisse Aduersarium ex leg. illa *Institutio*.  
*ff. de hered. instit.* quod est vnicum fundamentum,  
cui ipse innititur. Sed quam sit infirmum; ipse tex-  
tus demonstrabit. Sic habet *Illam Institutionem*: (quos  
Titius voluerit, esse hæredes) *ideo vitiosa est; quia*  
*alieno arbitrio commissa est. nam satis constat, & veteres*  
*decreuerunt, testamentorum iura per se firma esse oportere,*  
*non ex alieno arbitrio pendere. Accedat Gloss. quæ*  
*sic casum figurat. Ita dixi in testamento meo, Illos in-*  
*stituo mihi hæredes, quos Titius voluerit, nihil va-*  
*let. nam testamenta, & Institutiones non debent ab alieno*  
*arbitrio pendere. In eodem sensu accipit Bartolus,*  
*Alexander, & quicumque ab Aduersario citantur. Quæ-*  
*ro iam ab illo. quid est apud Iuris conditorem in*  
*textu, in quo ipse tantopere gloriatur, Pendere ab*  
*alieno arbitrio? respondet, testamentum condere de al-*  
*terius licentia, & consensu. hoc cunctis est Iura ex fide*  
*interpretari? Lex ait, illa institutio; quos Titius volue-*  
*rit. hoc est, nominauerit hæredes, ideo vitiosa est,*  
*quia alieno arbitrio commissa est. Aduersarius ait, In-*  
*stitutio, ac testamentum factum ab homine Religioso, (li-*  
*cet ipsemet testator heredem dicat, nominet, nec cuiquam*  
*designandum committat) vitiosum est. quia testamentum*  
*non potest ab alieno arbitrio pendere: egregia sanè*  
*Glossa, quæ textum destruit. apage. non egemus*  
*Glossis. ipsa lex exposuit, quid sit ab alieno arbi-*  
*trio pendere. est autem hæredis nominationem*  
*alterius voluntati committere. Adde quòd illa*  
*interpretatio, licet esset vera, solùm haberet vim*  
*in dispositione testamentariâ ad causas profanas,*  
*neuti-*

neutiquam verò in testamento ad pias causas cō-  
dito, adeoque validum est testamentum ad pias  
causas conditum, etiam si alterius arbitrio cōmit-  
tatur. v.g. si dicas, *instituo heredes bonorum meorum  
pauperes, quos Sempronius elegerit.* ita habet commu-  
nis Doctorum sententia in *c. cum tibi de testam. tul.*  
*Clar. quæst. 6. num. 5. Tiraq. priuil. 64. Ess. lib. 2. c. 19.*  
*dub. 2. in fine. Molin. disp. 134. in fine, & disp. 157. §. lega-*  
*tum.* Quid ad hæc Aduersarius? num hæc ipsis et-  
iam Iuris Candidatis perspecta, tantus, si Deo  
placet, Canonista ignorare potuit? an potius ma-  
litosè inscitiam simulare, & fraudulentò suo ra-  
tiocinandi modo nobis, Iudicibusque fucum fa-  
cere voluit?

Vnum tantùm superest, quod nimium quan- 46  
tum indignè tulit Auctor *Epopseos num. 78.* Illud  
autem est, quòd in extremâ meâ Consultatione  
*gladium Excommunicationis strinxerim in viros erudi-*  
*tione egregiâ primarios Sacra Theologia Professores, & in*  
*rebus Societatis perscrutandis diligentissimos.* Egone Ex-  
communicationis gladium strinxerim? quî po-  
tuerim homo priuatus? monui solùm, vt illius  
Scripti, quod confutauì, Concinnatores vulnera  
sibi à GREGORIO XIII. inflicta curare vellent;  
idque feci summa modestiâ imò Christianâ cha-  
ritate permotus, solùm hortatus sum, sicut & nūc  
hortor, rogoque *Epopseos* Auctorem, cuius tam li-  
bera vox, qua affirmat *in casu assertæ reuocationis*  
*Testamenti post vota emissa, Doctores quoscunque potuis-*  
*se, & etiamnum posse etiam acerrimè disputare, modò*  
*non sit disputatio, qua nec impugnatur nec contradicitur*

*ipsa sacra Religio; sed confirmatur, ac roboratur. hæc in-*  
*quam, tam libera vox in alio sublimiori subsellio*  
*examinanda est. Iam verò, quod ait de viris egregiâ*  
*eruditione primarijs Sacrae Theologiae Professoribus, san-*  
*ctè testor, me tunc nescisse, quod dicit. Egi solùm*  
*contra eos, qui scriptum illud confecerant, quod*  
*ad manus meas mutilum peruenit. continebat e-*  
*nim solùm quatuor Quæstiones, & titulũ quintæ*  
*vsque ad illa verba cum itaque Titius antequã fieret.*  
*&c. Et licet integrum habere desiderarim ( vt nihil*  
*relinquerem non refutatum ) non potui tamen*  
*consequi: quia is, à quo Socij mei acceperant, im-*  
*portunissimè reperijt, antequam totum describi*  
*potuerit. quo factum est, vt subscriptiones, quas*  
*nunc Epopsi adiunctas video, tunc ne suspicatus*  
*quidem fuerim, potuisse à quoquam impetrari.*  
*Sanè à Theologis & Professoribus probatum*  
*fuisse illud Scriptum, ne in mentem quidem mihi*  
*venit. cum in eo ne mica quidem salis Theologi-*  
*ci appareret. Nunc verò duo explorata habeo,*  
*primum Scriptum illud vnus tantùm Legulèi*  
*abortum esse, nec quicquam continuisse in reli-*  
*qua quæstione quinta, quam non videram, quod*  
*egeret refutatione. Secundum; Illos Theologos*  
*credidisse Auctori loca citata ita habere, vt Scri-*  
*ptum referebat, quod quam sit falsum, puto po-*  
*stea intellexisse, & spero adhuc planius intelle-*  
*cturos, si hoc Auctarium in manus sumere non*  
*dedignati fuerint. Equidem Sacrae Theologiae Profes-*  
*sores, & Magistros præsertim egregia eruditione pri-*  
*marios, quales sunt huius Nobilissimæ Academiae,*  
suspi-

suspicio, colo, obseruo, nec abnuo diligētissimos fuisse in perscrutandis rebus Societatis, quando id Auctor affirmat. Vereor tamen, vt tam probè eas calleant, quàm idem prædicat. nunc ergò primum intelligo, quinam illi Subscriptores fuerint. nec tamen illis infensus sum. imò paratus, si ostendant se iniuria fuisse læsos; quantum in me est, satisfacere.

Suadebant amici, vt hanc *Epopsin* aliquanto 41  
fufius excuterem. Sed præter quam quod his paucis meæ Consultationi abundè consultū esse existimo, non sum passus id mihi persuaderi, duas ob causas.

Prima est, tum quia nihil habet solidi, quod 42  
vel mea Consultatione, vel hoc Auctario confutatum non sit; tum quia quicquid in hac *Epopsi* inculcatur, etiam mediocriter versatis in Iure, & Theologia statim per se apparet, quam sit absurdum, Specimen dedisse, satis sit in referendo argumento ex *L. Illa institutio*.

Altera causa est, quod cognouerim Viro non 43  
illiterato, & Societatis Amico in animo esse id præstare, quod ego negligendum puto. si faciat; res erit lectu dignissima. ait se ostendere velle, *Epopseos* Auctorem non satis benè instructum esse à natura, vel moribus, Memoriâ constanti, Intelligentiâ sana, rectâ Voluntate. Addit enim in *Epopsi* non paucas esse antilogias, & contradictiones. Quod pertinet ad memorandi vim; multa peccari in Grammaticis, in Historiâ, in Dialecticis, in vtroque Iure communi, in Statutis particulis,

laribus, & miserrimè in Theologicis: quæ omnia arguunt infirmam Intelligendi facultatem: Denique in *Eposi* affirmat, notari posse mendacia non pauca conuitia, detractiones, susurrationses, & calliditatem non vulgarem cum imprudentiâ coniunctam. Quæ omnia certè non indicant hominem bonæ voluntatis, & amantem Pacis, verùm ego, quanto maximo conatu dehortatus sum, & dehortabor. haud tamen scio, quid sim impetraturus. Hoc polliceor, me probaturum non esse: nec quicquam ampliùs in hac Causa exaraturum. quandoquidem video contrasentientes posse quidem Scriptis coargui: sed à Magistratibus duntaxat coerceri; mihi que bis iam luctatum fuisse cum Laruis, est plusquam satis.